F. K. 83.
3.
V, 178.

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO

DOMINO

IOHANNI GOTTHELFF

A GLOBIG

POTENTISSIMI POL. REGIS SAX. DVCIS ELECT

A CONSILIIS AVL

CVM IVSSV REGIS AVG. CLEMENTISSIMO

VICE PRAESIDIS

SVPREMO SACRORVM REIQVE ECCLES. COLLEGIO

DRESDAE

MENSE IVN. A C. N. CIↃ IↃCC LV

MVNVS AMPLISSIMVM ADIRET

HONOREM EVM LVBENS AC MERITO GRATVLATVR

ACADEMIA LIPSIENSIS

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-222874155-14

Conſilio potius magni TE gratia Regis

Ornat, et ex meritis naſcitur illa TVIS,

Quam vigeas vt forte TVA: forti tamen ipſi

Diſpenſantis ineſt prouida cura Dei.

Eſt ideo, cur nos multum res, et iuuet auctor,

TE que honor illuſtrem promtus adire virum.

Quem fore perpetuum ſpondet TVA plurima virtus,

Spectatum que meis ciuibus ingenium.

Nam quoties olim TE vidi in rebus honeſtis

Geſtantem noſtris commoda litterulis?

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-222874155-14

Tum quoque cura fuit, ne non ego ſidera adirem

Laude, et vt hanc olim Fama citaret anus.

Quod mihi veraci tribuit nunc Teutonus ore,

Et videor ſtudii praemia ferre mei.

Regia TE poſt illa vocat: quae Regia! quantum

Inclyta iuſtitia! quam pietate Ducis!

Quanta fide! ſeu munificus fert praemia dignis:

Siue ſecus meritis donat omiſſa bonus.

Quo melius maiusue animo nil, Phoebe, tueris.

Nil melius quondam, Miſnia culta, feres.

Felices aliqui noſtrorum ſponte penates

Linquendo longis me petiere viis:

Regis fama pii ſedes mutare coëgit:

Nunc quoque vi grata pectora docta tenet.

Quare etiam hoc ſtadio TVA virtus vtitur amplo:

Et modo nacta nouum, ſic volet ire, decus.

Nam genus, et bona mens doctrinis culta ſeueris,

Et ratio, vitam ducet honore grauem,

Quae ſtudiis vacet, ac Muſa, nullo que labore

Effluat, artifices nec meditata operas.

De ſtudiis partem mihi TE patiente repoſcam.

Es bonus, et nunquam credita noſtra neges.

Sed prius his, niueo pectus candore notandum,

Teutonicum bonum: idem quis neget eſſe TVVM?

Hinc facile exiſtit, docta quod mente ſerenus

Demta praeclaros adſpicis inuidia.

Non animum liuor peregrinae noxius arti

Inficiat, nec TE recta videre vetet.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-222874155-14

Alpibus excluſus quicunque, Iſtriue fluentis,

Aut ponto, ſtudiis ſi bonus eſt, TVVS eſt.

Senſu multorum diſtantia ſaepe ſiniſtro

Aequus ad infirmos, nec memor, ergo feres.

Humanas miſerate vices non ſumma putabis

Iura, malo errorem plectere poſſe graui.

Nec placeant, cum ſe arbitriis premit inuicem iniquis

Barbaries, vitio tela remiſſa pari.

Illa TVI generis laus olim ſumma petetur,

Prae Diomedea, Dulichiiue ducis.

Nobiliora quidem fidei bona ſimplice cultu,

Quam docti nimium mente ſagace doli.

Iſta TIBI proaui cum ſanguine reddere, nosque

Excolere inſertum nempe ſub arte, boni.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-222874155-14

Quare aliud maius, iuſtum TE ſcire piumque,

Vrbs dedit: vt reddens nunc fateare, rogat.

Denique perfecit bonitas deprenſa ſub vſu,

Exemplique ingens, quod ſequerere, fides.

Nam niſi vita duces habeat, rerumque magiſtros,

Nec bene delectos ipſe imitere viros,

Depoſita eſt, nec adumbrato de pectore virtus

Promitur: exemplum, quo docearis, habe.

Quam bonus ille fuit, quam forti pectore, et vſu

Quantus, et in ſtudiis qua pietate meis,

Cui fueras charus quondam comes? et modo quantus

Splenduit ingenti, cui comes es, merito?

Quid bonitate ſua par, adſpiciatue ſecundum?

Quid magno certans per benefacta animo?

Zk 26 3562
VD18 X 355 9883

Munificum, facilemque vna rectique tenacem

Sic legiſſe bonos, id quoque laudis habet.

Quid, placuiſſe Tito noſtri certiſſima ſaecli

Non ea laus? magno non ea digna viro?

Sic TVA nil ſaeuum coeptis, vel denique dicto

Mens ritu Illius candida concipiat.

Grata deis, hominemque decens humana benigni

Forma animi cunctos ducat amore TVI.

Euentus ea res, cupimus, Deus omine firmet,

Sorte TIBI certa finxerit ipſa bonos.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
M
Zk 3562
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-222874155-14

F. K. 83.
3
V, 178.

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO

DOMINO

IOHANNI GOTTHELFF

GLOBIG

TISSIMI POL. REGIS SAX. DVCIS ELECT

A CONSILIIS AVL

I IVSSV REGIS AVG. CLEMENTISSIMO

E PRAESIDIS

O SACRORVM REIQVE ECCLES. COLLEGIO

DRESDAE

MENSE IVN. A C. N. CIↃ IↃCC LV

S AMPLISSIMVM ADIRET

OREM EVM LVBENS AC MERITO GRATVLATVR

ADEMIA LIPSIENSIS